UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Tractatvs De Censvris Romano Pontifici Reservatis

Ugolinus, Bartholomaeus

Venetijs, 1609

De excommunicatione lata contra Vsurpantes fructus Ecclesiasticos, vel eosdem sine legitima sequestrantes. Cap. XVII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-61365

Visual Library

prędicta dant, quod multis modis fit, vel re, vel verbis, vt alibi declarauimus.

Item, qui ad hęc facienda conſilium dant, exempli gratia, uel ut fiant, uel quo modo fiant. Item, qui patrocinium ad eadem pręſtant, utpote apud Cancellarias, & Curias ſeculares, & ſic in iudicio. argum. capitu. 1. de poſtu lan.

Quare & procuratores, & aduocati, qui rem hanc agunt, in pœnam hanc incident.

Poſtremo & qui fauorem pręſtent, quod multis modis fieri poteſt, ut pote in iudicio curando, ut facilem ingreſſum ad Curias ſeculares hi habeant. Item curando, ut quam primum res expediatur, quod faciunt ij, qui uulgo dicuntur Solicitatores. Item ſcribēdo prædictas inhibitiones, & mādata pœnalia, quod faciunt publici ſcribæ. Extra iudicium uero multis modis, ut alibi dixi. Hi omnes ergo in excommunicationem incident, quæ excommunicatio, ut ſuperiores, declaratur.

Excipitur tamen, ubi executio facta non eſſet, nam ſi is, cuius de re agitur, in excommunicationem non incidit, nec ij, qui ad id opem tulerunt. Atqui de Capite hoc ſatis, ad aliud tranſeamus.

De excommunicatione lata contra Vſurpantes fructus Eccleſiaſticos, vel eoſdem ſine legitima licentia ſequeſtrantes. *Cap. XVII.*

Qui ve iuriſdictiones, ſeu fructus, reditus, & prouentus, ad nos, & Sedem Apoſtolicam, & quaſcunque Eccleſiaſticas perſonas, ratione Eccleſiarum, monaſteriorum, & aliorum beneficiorum Eccleſiaſticorum pertinentes, vſurpant. Vel etiam quauis occaſione, vel cauſa ſine Romani Pontificis, vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium expreſſa licentia, ſequeſtrant.

SVMMA.

1 *Iuriſdictio quid ſit.*
2 *Fructus quid, & quotuplex ſint.*
3 *Reditus, & prouentus quid ſignificent.*
4 *Vſurpare quid ſignificet.*
5 *Eccleſiarum nomine quæ comprehendantur.*

6 Mo-

6 *Monaſteriorum nomine quę comprehendantur.*

CApu hoc in duas partes diuiditur, ſecunda incipit ibi, Vel etiam, de quibus ſingulis agē dū eſt, & prius de prima, in qua excommunicantur vſurpantes iuriſdictionem, fructus, reditus, & prouentus Eccleſiaſticos. Verum, quo dilucidior res fiat, præmittēda hæc ſunt. Primum, quid ſit iuriſdictio. Item, quid fructus, reditus, & prouentus Eccleſiaſtici. Tertio, quid ſignificet uerbum hoc vſurpare. Poſtremo, Eccleſiarum, & monaſteriorum nomine quęnam cōprehendātur.

1 Quoad primum igitur † iuriſdictio nil aliud eſt, quam iuriſdicendi facultas, vt habetur in l. imperium. ff. de iuriſd. omn. iud. Et diuiditur in Eccleſiaſticam, & ſecularem, quod ad rem noſtram autem pertinet, pro utraque iuriſdictione hic accipitur, ut ex ijs, quæ infra dicemus, apparebit, in quibus autem conſiſtat iuriſdictio Eccleſiaſtica, declarauit, & docuit Glo. in capit. tranſmiſſam. de elect. & nos in antecedenti Capite, in quibus uero iuriſdictio ſecularis, tradunt DD. in cit. l. imperium.

2 Fructus autem † ſunt reditus, qui ex re aliqua percipiuntur, & hi partim ſunt ciuiles, vt penſiones domorum, vecturæ nauium, & id generis, qui non ex re, ſed propter rem hominis induſtria & cura ſeruutur, quamobrem induſtriales eos appellauit Couar. lib. 1. variar. reſol. capit. 3. partim naturales, & hi ſunt ij, in quibus modica, aut nulla hominis induſtria requiritur ad eos habendos, vt poma, & id generis, partim naturales, & induſtriales, in quibus multa opera hominis requiritur, vt ſegetes, frumentum, & id generis, atque ſic tradidit, ac declarauit Barto. in l. ex diuerſo. nume. 1. ff. de rei uind. & ſequitur Abb. in c. grauis. num. 3. de reſti. ſpol. quo ad rem noſtram uero pertinet, vniuerſi accipiuntur, ut infra probabimus.

3 Reditus autem † & prouentus idem ſignificant, quod fructus, & reditus dicti ſunt a uerbo Redeo, quia quot annis è fundo, vel prædio ad nos redeunt, ſeu ueniunt, vt aſſeruit Nauarr. in tractatu de redit. Eccl. q. 1. in monitione in fine. Prouentus vero a verbo Prouenio: idcirco autem nomina hæc tria poſita ſunt, quo ſignificarentur uniuerſa, quæ percipiuntur ratione Eccleſiarum, monaſteriorum, & aliorum beneficiorum Eccleſiaſticorum.

4 Vſurpare autem † nil aliud ſignificat, quod ad rem noſtrã pertinet, quam ius alicuius rei, ſiue aliquid ſibi arrogare, tanquam auctoritatem ad id habeat, & id poſſit, vt ſenſit Caietan. in Summ. in uerb. Excommunicatio. capitu. 27. in Secunda parte uerſic. Quarta,

ta, ibi Ex qua forte, & habetur in Clemẽ. 1. in verb. Vſurpare, & ibi Zabar. de decim. & in c. generali. de elect. lib. 6.

5 Eccleſiarum nomine autem † intelliguntur Epiſcopatus, Archiepiſcopatus, Patriarchatus, necnon beneficia alia Eccleſiaſtica curam animarum habẽtia, vel nõ habentia, quamobrem comprehenditur etiam Papalis Epiſcopatus. Item canonicatus, & præbendæ.

6 Monaſteriorum demum † nomine accipiũtur monaſteria quorumcunque regularium, & tam virorum, quam mulierum. arg. c. Ioannes. iunct. c. cum virum, de regular. His ſic præmiſſis, iam regulam ponamus.

SVMMA.

1 *Vſurpantes fructus Eccleſiarum quarumcunque, ſeu Eccleſiaſticos fructus in excommunicationem, incidũt, quæ excommunicatio, quouſque pateat, declaratur.*

I.

§. Præmiſſis antecedentibus, iam regulam, vt pollicitĩ ſumus, ponamus.

In excommunicationem hanc igitur incidunt, qui vſurpant fructus Eccleſiarum quarumcunque, vt habetur in initio Capitis.

Quæ excommunicatio afficit primo, quicũque ſit, qui vſurpet, cum ob dictionem illam omnes, poſitam in Capite 14. ad quam refertur principium huius Capitis, tum ob relatiuum, Qui, hic poſitum, quæ duo neminem excludunt. argum. l. Iulianus. ff. de leg. 3. iunct. Glo. Clemen. 1. de ſepult. Quare, vel Imperator, vel Rex, vel Dux, vel inferior alia perſona laica, tam priuata, quam publica hæc vſurpet, in excommunicationem hanc incidet. Item vel Cardinalis, vel Patriarcha, vel Epiſcopi, aliiue inferiores clerici.

Item excommunicatio afficit quoſcunque fructus Eccleſiarum quis vſurpet, ob verba illa Iuriſdictiones, ſeu fructus, reditus, & ꝓuentus. Qui ergo in aliqua Eccleſia, ſeu Epiſcopatu, in quo ius nõ habet, aut cenſuras fert, aut iudicat, aut beneficia confert, & id generis, quòd iuriſdictionem Eccleſiæ, & iuriſdictionis fructus vſurpat, collatio enim beneficiorum in fructu menſæ Epiſcopalis eſt, vt dixit Gloſ. in capitu. cum olim, de maiorit. & obedien. in excommunicationem hanc incidet. Et quoniam Eccleſiæ aliquæ iuriſdictionem ſecularem etiã habẽt, vt Eccleſia Romana, quæ & prouincias ſub ſe habet, in quibus iuriſdictionem ſecularem etiã exercet, ſicut etiam Epiſcopatus Imolenſis, Bagnariæ, & Archiepiſcopatus Bononienſis in aliis locis; ob eam rem & in his iuriſdictio-

nem

nem sibi vſurpans in pœnam hãc incidet. Qui itidem agrorum fructus alicuius Eccleſiæ, vel ædium vſurpabit, pœnam hanc euadet, quoſcũque fructus percipiat, vel induſtriales, vel naturales, vel ciuiles, nam, ex quo multiplicis generis ſunt, vt præmiſſimus, & Bulla indiſtinctè, & generaliter loquitur, indiſtinctè, & generaliter intelligi debet. argum. l. de pretio. ff. de pub. in rem act. Hinc, qui ab emphyteuta Eccleſiæ Canonem ſibi præſtandam curat, qui & reditus dicitur in l. 2. in verb. Ne autem. C. de iur. emphyt. Item & qui oblationes in Eccleſiis factas ẽt vſurpat, nam ratione Eccleſiarum habetur, & ad Eccleſiaſticas perſonas pertinent, vt habetur in ca. hanc conſuetudinem. 10. qu. 3. hi omnes in excommunicationem hanc incident.

Tertio excommunicatio hæc afficit bona hæc vſurpantes, ad quaſcunque perſonas Eccleſiaſticas ipſa pertineant, ob verba illa Ad nos, & Sedem Apoſtolicam, & quaſcunque Eccleſiaſticas perſonas pertinentes. Siue igitur ad Romanum Pontificem, Siue ad Cardinales, ſiue ad Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, inferioreſve clericos, religioſos, religioſaſve pertineant, in excommunicationem incident ea bona vſurpãtes. Quare, & qui bona Eccleſiarum, quæ commendatæ ſunt equitibus S. Ioannis, qui Meliuetani dicuntur, vel Calatratæ, vel Alcantaræ, vſurpauerint quoniam & hæc bona Eccleſiaſtica ſunt, & equites illi Eccleſiaſticæ perſonæ, vt diximus antea, pœnam hanc non euadent.

Quarto excommunicatio hæc afficit, quarumcunque Eccleſiarum ratione bona hęc ad Eccleſiaſticas dictas perſonas pertineant, vtpote vel ſint monaſteria, uel ſint beneficia animarum curam habentia, vel ſimplicia, ob uerba illa Ratione Eccleſiarum, Monaſteriorum, & aliorum beneficiorũ Eccleſiaſticorum.

Quinto afficit excommunicatio prædicta bona vſurpantes, vel beneficia illa vacẽt, cum ob rationes, quas reddidit Nauarr. in Manual. cap. 27. num. 70. verſicu. Sexta ibi, Neque, qui capiunt, tum ob verbum illud Ad nos, & Sedẽ Apoſtolicam, nam illud pronomen Nos, ſignificat, dum Romanus Pontifex viuit, illud vero. Et Sedem Apoſtolicam, quando & mortuus eſt, & ſic vbi Sedes Apoſtolica vacat, nam ipſa nunquam moritur, vt habetur in cap. ſi gratioſè. de reſcript. libr. 6. ergo idem & de aliis Eccleſiis uacantibus dicendum eſt, vna enim pars legis, aliam declarat. Quare opinio Caietan. non eſt accipienda, qui contrarium ſenſit in Summa, in uerb. Excommunicatio. cap. 27. verſic. Tertia. In omnibus igitur his caſibus Eccleſiaſtica bona vſurpans in excommunicationem hanc incidet, ſed iam caſus explicemus, in

quibus pęnam hanc quis euadat: id quod in ſequenti explicabimus.

S V M M A.

1 *Vſurpantes Eccleſiaſtica bona quando in excommunicationem non incidant.*

2 *Furantes fructus Eccleſiæ in excommunicationem non incidunt.*

II.

SVidimus, qui in excommunicationem hanc incidunt, modo videamus, qui non in
1 cidunt.

Primum igitur in excommunicationem hanc quis non incidit, qui Eccleſias ipſas vſurpat, ideſt occupat, nam Bulla excommmunicat ſolum vſurpantes fructus, & prouentus Eccleſiarum, ergo ſecus ſi occupet beneficia, non enim fructuum nomine beneficia continentur, ex quo igitur Bullæ verba hiſce non conueniunt, ergo nec diſpoſitio. ar.l. 4.§.toties. ff.de dam.infe. quamuis alias grauiſſime peccẽt, & puniantur. Hæc tamen exceptio mihi non omnino probatur, nam occupata eccleſia, & reliqua occupata cẽſentur. arg.cap.acceſſorium.de regu.iur. lib.6.

Secundo in excommunicationem hanc non incidit, qui fructus ad Eccleſiaſticas perſonas aliunde, quam ab Eccleſiis, monaſteriisve pertinentes vſurpant, nam Bulla excommunicat ſolum vſurpantes fructus ad Eccleſiaſticas perſonas pertinentes, quos habẽt ratione Eccleſiarum, & Monaſteriorum, ergo ſecus ſi aliunde, inclusio enim vnius alterius excluſio eſt.arg.capitul. non ne.de præſumpt.& l.cum prætor.ff.de iudi. atque ſic dixit Caiet. in Summ.in verb. Excommunicatio.capit.27. verſic.Prima ex parte rei acceptę, & Nauar.in Man.capitu.27.num. 70.verſic.Sexta. ibi. Primum.& Tolet.in Bulla Cœnæ Domini, excommunicatio.9.numer.12.Quare ſi bona Eccleſiaſticarum perſonarum quis vſurpet, quæ ratione ſui patrimonij habent, vel aliundè acquiſita, in excommunicationem hanc non incidet, atque ſic dixit Iacob. de Graff.libr.4.deciſ. caſ. conſc. in expoſitione Bullæ Cœnæ Domini.nume.130. Sicut nec is, qui vſurparet fructus fundi empti ex fructibus Eccleſiæ nomine ipſius Eccleſiaſticæ perſonæ. Secus tamen de eo dicendum eſt, qui vſurpat fructus patrimonii, quod pro titulo alicui eſt aſſignatum, iuxta decretum Triden. Synod. nam patrimonium hoc priuilegia bonorum Eccleſiæ habet, vt dixit Gloſ.in c.epiſcopi.de præbend.& ibi Dec.nume.11.& Fel.in cap.Sanctæ Mariæ.numero 14.verſi.Adde.D.Card.de conſt. & Nauarr.in conſil.1.de immunit.Eccl.libro 3.Hæc igitur & huiuſmodi vſurpantes in excommuni-

municationem hanc non incident.

Tertio excommunicationem hanc effugiunt, qui fructus prædictos occupant, non quaſi hoc eis liceat, & poſſint, & ſic auctoritatem habeant, quod verbum vſurpare ſignificat, ſed ut res alias ſurripiunt, nam Bulla excommunicat vſurpantes tales fructus, quod verbum vſurpare ſignificat ex auctoritate id facere, & auctoritatiue, quod aiunt, vt dixit Caietan. ibid. verſic. Ex qua forte: nam, ut ipſe ait, factus eſt Canon iſte contra Dominos, qui hæc vſurpant, quaſi poteſtatem in hoc habentes, quamuis omnes comprehendat tam priuatas perſonas, quam publicas, modo id ex auctoritate faciant, & ſequitur Nauarr. ibid. & Tolet. eod. vbi infra. Quod eſt notandum contra eos, qui vſurpant fructus Eccleſiæ quaſi id eis liceat, vt Barbiani factum audiui, ex quo igitur non hoc animo occupant, pœnam hanc euadent. †
2 Quare qui furantur fructus Eccleſiæ, & ſic fures, latrones, & milites, quod non hoc animo occupant, in excommunicationem hanc non incident, vt dixit Caietan. ibid. verſi. Secunda, ibi. Et per hanc, & Nauarr. eo. verſic. Quare latrones, & Iac. de Graff. ibid. & Tolet. in Bulla Cœnæ Domini Excommunicatio. 9. num. 12. verſic. Tertio, ſicut nec etiam, qui neceſſitatis cauſa, quiue, vt ſuum hēat, hos fructus ſurripit, ut conſuluit Naua. in conſ. 30. de ſent. excom. lib. 5.

Poſtremo, vbi vſurpans conſtitutionem hanc probabiliter ignorat, nam neque hic in excommunicationem hanc incidet. argum. cap. fin. de conſtit. lib. 6. & capit. ſi quis cum eo, de ſentent. excomm. in antiq. Quare, quod Bulla hæc raro publicatur in Villis, & a ruſticis ob id ignoratur, pęnam hāc euadent fructus hos vſurpantes, quod eſt notandum, quandoquidem ruſtici exiſtimant ſibi hoc licere, & niſi ratione hac excuſentur, pœnam hanc non euadunt, idem de ijs cōcludimus, qui vſurpant ea bona, ſed neſciunt, an ſint Eccleſiaſtica, ſed ut alia quæuis bona capiuntur, neceſſario enim requiritur, vt capiantur, tanquam Eccleſiaſtica, vt ſenſit Nauarr. ibidem. Non itidem qui de licentia legitimè id facit, vt dixit Iacob. de Graff. ibidem, & Nauarr.

Verſ. Vel etiam quauis occaſione, vel cauſa ſine Romani Pontificis, vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium expreſſa licentia, ſequeſtrant.

SVM-

SVMMA.

1 *Sequeſtrantes ſine licenſia legitima fructus Eccleſiaſticos in excommunicationem incidunt, quæ excommunicatio, quouſque pateat declaratur.*

IN hac poſtrema parte huius Capitis excommunicantur laici iudices, qui fructus prædictos Eccleſiarum quarumcunque, & beneficiorum ad Eccleſiaſticas perſonas pertinentes ſine expreſſa licentia eorum, qui id poſſunt, ſequeſtrant. Cuius rei cognitio ut dilucidior ſit (quoniam quid ſit ſequeſtratio, & quotuplex, declarauimus in capi. XIII.) unum hic dicimus agi in hac parte de ſequeſtratione neceſſaria, quæ eſt illa, quæ iuſſu iudicis fit, ut declarauit Ab. in c. 2. n. 11. uer. Quædã. n. eſt ſequeſtratio uoluntaria. de ſequeſtr. & in c. 1. num. 19. in fine eodem. Hoc præmiſſo, iam regulam ponamus.

In excommunicationem hanc
1 igitur† incidunt laici iudices, qui ſine legitima licentia prædictos fructus ſequeſtrant, ut habetur in propoſito uerſi.

Quæ excommunicatio afficit ſequeſtrantes uel iudices ordinarii, uel delegati ſint, nam tam ordinarius, quam delegatus ſequeſtrum facere poteſt, ut dixit Ab. in cit. c. 2. num. 21. uerſic. Secundo not. de ſequeſtra. & Bulla non diſtinguit, ergo nec nos diſtinguere debemus. argum. l. de pretio. ff. de publ. in rem act. & ob id tam ordinarios, quam delegatos excommunicatio hæc afficit.

Poſtremo excommunicatio hæc afficit ſequeſtrantes quacunque occaſione, uel cã ſequeſtrant, ob uerba illa, Vel etiam quauis occaſione, uel cauſa. Vel igitur ſequeſtrum faciant, ne ſeditio fiat, ad arma ve ueniatur, uel ne fructus auferantur, conſumenturve, uel ne poſſeſſor, eorum fiat nõ ſoluendo, ad ſummam ob quamcumque cauſam, & rationem, id faciant, pœnam hanc non euadent.

Excipitur tamen primo, vbi de expreſſa licentia Romani Pontificis, vel alterius ad id facultatem habentis ſequeſtrum faciũt, nam tunc pœnam hanc euadent, ob verba illa Sine Romani Põtificis, vel aliorum ad id facultatẽ legitimam habentium expreſſa licẽtia, ergo ſecus ſi cum licentia eorum, ualet enim argumentum a contrario ſenſu. argument. l. 1. & ibi communiter not. ff. de offic. eius. Quare, qui ab Epiſcopis, eorumve Vicariis facultatem hanc habent, in pœnam hanc non incident.

Excipitur etiam, ubi ſequeſtrum fit ab iis, qui ſuo iure id poſſunt, cuiuſmodi ſunt Epiſcopi, eorumve Vicarii, & iudices Eccleſiaſtici, nam, ſi ipſi facultatem hanc aliis tribuere queunt, mul-

to

to magis eam exercere ipſi valēt, argument. authen. multo magis. C. de ſacroſanct. Eccl. Quare uel iniuſtè ſequeſtrum faciant, pœnā hanc euadent, nam & iniuſta ſen tentia tenet. arg. c. ſacro. de ſentē. excommun. & c. 1. de re iud. lib. 6. etenim canon hic cōtra laicos factum eſt.

Tertio excipitur is, qui id faciē dum per iudices prædictos curauit, ex quo enim Bulla excommu nicat ſequeſtrantes, ergo nō eos, qui ſequeſtrandum curant per iu dices, tum quod ſumus in pœnis, & idcirco ſunt coarctandæ. l. interpretatione. ff. de pœ. tum quod poſitū in uno caſu nō extenditur ad alium. capitul. pęnæ. de pęnit. diſtinct. 1. atque ſic conſuluit Nau. in conſi. 38. de ſentent. excommu. libro 5.

Poſtremo excipitur, ubi ſequeſtratio uolūtaria fit, & ſic vbi par tes ipſæ inter ſe conueniunt, vt ſequeſtrum fiat, nam agitur de ſequeſtratione neceſſaria, ut prę miſſimus, id quod probatur ex Bulla, quoniam ut legitimè ſequeſtratio fiat ab ijs, qui iure ſuo id nequeunt, licentiam habere debent, quæ non poſtulatur ad ſequeſtrū uoluntarium faciendum. Atqui de hoc Capite ſatis, ad aliud ueniamus.

De excommunicatione lata contra imponentes onera Eccleſiaſticis perſonis, eorumque bonis, nec non ea exigentes accipientesque, itemq. prædicta procurantes, rationeue quapiam fauentes.

Cap. XVIII.

Quive collectas, decimas, taleas, præſtantias, & alia onera clericis, prælatis, & alijs perſonis Eccleſiaſticis, ac eorum Eccleſiarum, Monaſteriorum, & aliorum beneficiorum Eccleſiaſticorum bonis illorumque fructibus, reditibus, & prouentibus huiuſmodi abſque ſimili Romani Pontificis ſpeciali, & expreſſa licentia imponunt. Et diuerſis etiam exquiſitis modis exigunt. Aut ſic impoſita etiam a ſponte dantibus, & concedentibus recipiunt. Nec non qui per ſe, vel alios directè, vel indirectè